

EPISTOLAE

CLARORVM VIRORVM,

SELECTAE DE QVAMPLVRIMIS

optimæ,

AD INDICANDAM NOSTRORVM

temporum eloquentiam.



AL


DVS

VENETIIS, M. D. LVI.

Apud Paulum Manutium, Aldi filium,

cum priuilegio.

37



E P I S T O L A E

debere uideor, ut quicquid ualeam, totum illud in
 ære tuo ponendum sit. sed in eo tamen nullum fa-
 cis questum. iãdudum enim propter multas cau-
 sas omnia me tibi debere existimo: una uero cum
 Ludouico meo in familia tua me numeratum puto.
 idq; ut ita esse existimes, uehementer uelim. Vale.

Cosmus Gherius, Episcopus Fanensis, Cardi-
 nali Theatino S. D.

CUM est ad nos allatum de Cardinalatus di-
 gnitate, ultro tibi sancteq; delata, existimaui eam
 letitiam & communem, & singularem omnibus
 bonis esse debere. tecum autem propterea liberius
 gratulari ausus sum, quòd animi mei obseruantia,
 quam in te iam pridem contuleram, talis erat, ut,
 quanquam non accidisset, ut eam tibi quotidiana
 consuetudine declarare possem, nihilominus tamen
 me tibi familiarem factum existimarem, præsertim
 cum amoris, & beneuolentiæ causæ non tam usu,
 & consuetudine; teneri mihi uideantur, quam ani-
 mo quidem certe, & uoluntate. sed nescio an de
 ista amplissima dignitate gratulandum tibi sit nec
 ne, qui pro tua singulari sapientia, in istis honoris
 insignibus, ornamenti nihil ponas. ecclesiæ quidẽ
 Christi

Christi uniuersæ etiã atque etiam magnopere gratulandum non dubito. Quæ cum à te præter ceteros tanquam carissima, ac sanctissima mater obseruetur: hoc certe nomine gratulari tibi quoque debemus, quòd ostendendæ in eam pietatis tuæ facultas tibi tanto maior est data, quanto gradus iste maior, & illustrior illo est, in quo eras. quòd si, te nullum magistratum gerente, sed à Christianæ rei publicæ administratione longissime absente, eius tamen confirmandæ, & constituendæ maximam in te uno spem omnes boni positam habebant: quid nunc eos facere putas, cum ad eius gubernaculum diuino quodam auxilio te in primis uocatum esse, sentiant? Profecto nihil est tantum, quod à uirtute, sanctitateq; tua non expectetur. Quod uel summa grauitas tua pateretur, uel adolescentiæ meæ conueniret, non commissem, ut in tam amplo, & excellèri argumento tam pauca scriberem: sed neque multis apud te uerbis opus est: & ego, multa potius silendo, quàm scribendo, modestiam eam tuebor, quam habere semper opto. quare, us prætermissis præclarissimis maximisq; rebus, quæ à te Cardinali iure optimo expectantur, hoc duntaxat ascribam: mihi quidem Cardinalatum tuum, mirifi-

eam ac singularem lætitiã attulisse. quæ beatissimũ
 eum ad omnes bonos pertinere mihi communiter in
 deatur, quemadmodum initio scripsi, ego, qui esse
 in eorum numero uehementer uelim, teneri non po-
 tui, quin absens eius rei signum aliquod ac testimo-
 nium his literis, pro mea parte tibi mitterem. Deus
 modo faxit, ut gaudium, quod in Cardinalatu tuo
 nobis attulit, id ipsum in tua dignitate quotidie am-
 plificanda magis cumulet. Vale.

Cosinus Gherius, Episcopus Fanensis, Petro Carne-
 siccio Protonotario Apost. S. D.

ETSI contra iudicium, uoluntatemq; meã fa-
 ctum est, ut hanc epistolam, quam multis ante die-
 bus ad te dare decreueram, in hunc usque diem scri-
 bere distulerim, quia, ubi constitisses, nondum au-
 diebamus: tamen sic accidisse non permolesto fero.
 neque enim dubito, quin meæ literæ si primis illis
 diebus ad te allatæ fuissent, quibus recens grauissi-
 mus dolor in animo tuo uersabatur, ita te affectum,
 atque commotum offendissent, ut amore, & consi-
 lio suo leuare, ac sedare perparum possent. nunc ue-
 ro, cum summus animi tui dolor partim prudentiã
 que